


Putanowicz Jos. Aloys. Corona iustitiae sacra laurea theologica.

CORONA JUSTITIÆ
SACRA LAUREA THEOLOGICA
Post consummatum meritorum in Statione Academica cursum,
Virtuti & Sapientiæ
PERILLUSTRIS CLARISSIMI & Admodùm REVERENDI DOMINI
D. M. CASIMIRI STĘPLOWSKI,
Sacræ Theologiæ LICENTIATI, ejusdemq; & Cursûs Speculativi PROFESSORIS, Collegæ Majoris, Ecclesiarum Collegiatæ S. FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviam CUSTODIS, Parochialis S. JACOBI Casimiriæ PRÆPOSITI Ordinandorum & Approbandorum Synodalis EXAMINATORIS, Seminarii Academico-Diœcesani PRÆFECTI, ejusdemq; ac Scholarum Vladislaviano-Novodvorscianarum PROVISORIS.

dum à

PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO
D. M. ADALBERTO GRZYMAŁA,
Sacræ Theologiæ DOCTORE & PROFESSORE, ejusdemq; Sacræ Facultatis DECANO, Collega Majore, Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis CANONICO, Collegiatæ SS. OO. PRÆPOSITO, Contubernii Geloniani PROVISORE,
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR
Præsente Amplissimo Magnorum Hospitum Consessu
In Peraugusto CC. DD. Theologorum Archi-Lycæo *ritu solenni renuntiaretur;*
REPOSITA,
Vectigali verò Clientalis svadæ applausu,
M. JOSEPHI ALOYSII PUTANOWICZ
Philosophiæ Doctoris, ejusdemq; & Matheseos, ac Scholæ Dialecticæ Professoris, Collegii Novodvorsciani Præsidis, S. R. Majestatis Secretarii, Privilegiati Mathematici, Regii & Jurati Geometræ, Scholæ B. V. Mariæ Senioris.
ADORATA.
Annô Domini 1759. Die verò 26 Mensis Novembris.

CRACOVIÆ In Typographia Seminarii Episcopalis Academici.



Ei autem qui operatur merces imputatur, non ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. *Roman. 4. tô*

Corona eſt res pretioſa ex parte materiæ, & eſt res pretioſa ex parte formæ, & eſt æternitatis ſignificativa ex parte figuræ *S. Bonaventura T. 9. Diæt. c. 2.*


Juſtitia eſt perpetua & conſtans voluntas jus ſuum unicuiquè tribuens *S. Thomas 2. 2. q. 58.*

Ad magna præmia perveniri non poteſt, niſì per magnos labores; ſi delectat mentem magnitudo præmiorum, non deterreat certamen laborum. *S. Greg. Hom. 37. ſuper Evang.*





CORONA JUSTITIÆ



On finè arcano Numinis consilio, ita optimè ùt mea fert opinio, gloriæ honoriq; Tuo provisum esse existimo PERILLUSTRIS CLARISSIME & ADMODUM REVERENDE DOMINE NEO-DOCTOR; quòd non priùs sublimem Doctoralis in Sacra Facultate eminentiæ adires dignitatem: quin simulac ex æquo debita maximis tuis laboribus, sudoribus liberaliter profusis, consumatæ Sapientiæ perfectioni, omni deniq; numero absolutæ virtuti JUSTITIÆ CORONA deferretur. Equidem ut Theologica isthæc Laurea doctam tuam jam dudum ornasset frontem, id nedum universi Ordines Academici sicuti meritissimo de Re Literaria PATRI studiosissimè peroptabant; verùm etiam Phæbo Musisq; Jagellonicis dicata Juventus Nobilissima, quò

Sacri acceſſionem Honoris ocyus fuiſſet congratulata, protractam hactenus moram ægrè moleſtèq; ferebat: gaudemus nunc ſinguli incredibiliquè lætitia perfundimur, plurimumquè ùt debemus, & Tibi Doctoralem Theologicum Honorem, & Sacræ Laureæ Te Sapientiſſimum æquè ac Digniſſimum DOCTOREM quà ore, quà corde, quà animo gratulamur. Pridem profectò deſervita hæcce per octo prope in Statione Academica luſtra Tibi meritisq; tuis certè ampliſſimis merces debebatur, quam providum Numen eòusq; eſt remoratum; ut tantò majorem dulcedinem voluptatemve de præmio perciperes, quantò acerbiores in laboribus dolores algoresq; pertuleras. Ita hercle fieri comperimus, quòd cùm nusquam omnino æqua deſint ſuæ præmia virtuti, ita dilata non minuantur, ſed ad majorem gloriæ creſcant provehanturquè gradum. Sanè ipſa naſcentis Mundi ab origine iſthanc rebus mortalium dixit legem natura; ùt quantò diuturnior dignitatis expectatio, præſtolantia hominum deſideria longiùs ſuſpendit, dum ipſo eventu poſt ſuperata tædia virtus emerita coronatur, tantò prolixiori gaudio retardatæ ſpes hominum abundent. Qua igitur vel tacita lætitiæ dulcedine mentem tuam perfundi non expediat? quanquam animus tuus ſapiens ſemper in ſe ipſo repoſitus, nec ſitienter quidquam expectans ardere deſideriô, nec alacritate futili geſtiens deliqueſcere aliquando eſt viſus, ubi tot exantlatìs laboribûs parta, tot copioſô & crebrô ſudorum profluviô fæcundata, tot periculìs vitæ quæſita Sacra Laurea, eruditam tuam virtutem coronat, & ampliſſimis promeritis, cum communi Orbis Literarii applauſu Theologicus honor pulcherrima gloriæ ſtipendia defert. Quis verò eſt, qui non hodie tantam Tibi tanto Viro gratuletur fortunam? niſì fortè livore tabeſcens, probitatem & eruditionem

tionem

tionem tuam eòusquè provectam esse invideat; quis non inter festivas Summorum hominum & Reipublicæ Literariæ congratulationes, honori tuo studiosissimè applaudere contendat? cùm vel omnibus tacentibûs publica meritorum tuorum fama vocalissima audiatur: & laudatissimæ actiones, communi Ecclesiæ & Academiæ emolumento donatæ, ita Nomen Tuum deprædicent, ut vectigalem Oratorum svadam non multùm exigere videantur. Habes præstò tot magnarum tuarum dotum æstimatores, quotquot eruditi animi tui nobilitatem notam sibi perspectamquè habent, tot virtutum tuarum vocalissimi non desunt præcones, quotquot Viri authoritate summi, gloriâ non vulgari sapientiæ clarissimi, incredibile illud ingenii tui robur atquè vastissimam mentis capacitatem admirantur. Novimus verò bellè singuli quantùm incomparabili sapientiâ, quantùm rerum agendarum ratione & usu valeas: quantus sis, seu in Cathedris Doctor, seu in Rostris Ecclesiastes, ex peculiari omnium approbatione, maxima Universitatis gloria, ingenti Ecclesiæ emolumento satìs superquè satìs didicimus. Quocirca quis in Te isthanc Divinam quâ polles mentem omni laudis prædicatione non ornet? aut æternis monumentis non condecoret? quis illustri non efferat præconiô nobilissimam Tuam virtutem? quis amplissima promerita, etiamsi integrum Eloquentiæ robur enervetur, non quàm altissima voce concelebret? præsertim cum sacer isthic Tuus Theologicus honos, nequè duntaxat in præmium exantlatorum Tibi obveniat laborum, verùm insuper in pignus sublimiorum, quæ Te avidissimè expetunt, dignitatum deferatur. Quinimo si in illa incidissemus sæcula quibûs eruditæ virtuti nedum laudis elogium, sed Altaria quoquè Pyramides & Statuæ decernebantur, perpetuum honori Tuo monumentum erigen-

dum esset, excitandi aurei Obelisci, Nomenquè tuum immortalibus cedris & marmoribus insculpi deberet; ut limatissimæ eruditioni & probatæ morum integritati Tuæ par accederet ornamentum. Sed quorsum isthæc? cùm Virtus Tua ipsa sibi sit cedrus, statua & obeliscus; imò verò statuas demolitur vetustas, obscurat oblivio,negligit carpitquè posteritas: at eruditionis Tuæ gloria, vetustate temporum non consumetur, oblivione sæculorum non delebitur, totaquè posteritate integra atquè illæsa perennabit. Quamobrem non petam aliunde ornamenta, virtus Tua ipsa mihi laus erit & materia laudis, tuis te pingam lineamentis, ab arte vel ingenio minimè colores quæsiturus: satis erit meo judiciô, ad subsequentium admirationem ætatum, quod nuda quidem & exigua, sed vera & simplex de Te Oratio proponet. Laborent hoc defectu rudes lapilli, quibus congenitum natura nitorem denegavit, ut ab artificis manu fictam gratiam, & emendicatum splendorem expectent: at verò nobiles roris cælestis partus gemmæ, quas suo ipsa rerum natura parens fecit radiare candore, proprio commendantur pretiô, nequè mendacem elegantiam ab ingeniosa artis opera præstolantur. Non dispari methodô fulgentissimus ille animi tui politissimi splendor, quidnam candoris ab atra sæpia, quid dignitatis ab oratione desiderat? qui tanta claritate refulget, ut potiùs lumina Oratorum extingvat, quàm tenuissimum ab iis radium sibi accessum iri desideret. Itaquè Superos testes appello! nihil veritatem adulationis, nihil sermonem cerussæ, nihil verba superlationis habitura; nam nequè assentatorem apud Virum prudentissimum, nequè mendacem apud hominem rectissimum, me fore aut decet aut convenit. Nihil ergo penitus fingam, nihil à vero alienum in medium adferam,

cum

cum non aurium titillationem, ſed ſermonis ſimplicitatem, non aſſentationem, ſed integritatem ſine ſimulatione Tibi ut Viro Sapientiſſimo probari placereve haud ignorem, Hæc erit ſumma laudum Tuarum PERILLUSTRIS DOMINE NEO-DOCTOR ut cum Tibi Sacram Doctoralem Theologicam Lauream officioſiſſimo applaudens calamô congratulor: eandem ùt JUSTITIÆ CORONAM conſumatæ Tuæ Virtuti & eruditioni repoſitam, pura & ſimplici Oratione oſtendam.

HAbet hoc in ſe auguſtus honos, ut cum occulta quadam & inſuperabili potentiâ corda & animos ad ſe pelliciat humanos, ita ut ne unum quidem adeò corrupti ſensûs facilè reperias, cujus tamen aureum gloriæ condimentum non acuat famem; nihilominus operoſæ duntaxat Virtuti in alimentum cedat, Dijs & hominibus exoſam ignaviæ ambitionem rariſſimô exemplô coronet. Quid ſunt amabò Sceptra & Coronæ, faſces & purpuræ, magnifica hercle honorum inſignia? ſi non deſervita promeritorum merces? debitum honeſti laboris ſtipendium? quod non aliter nisì ùt bene merentium panem competitoribus ſuis diſtributiva Orbis gratia deferre ſolet. Quippe ſi rectam ſæculi ſequamur mentem, jamdudum æquitatis perſvaſit ratio, honorem inter & meritum omnimodam proportionem ſervari, ſolamquè inclytam virtutem gloriâ & præmiis atquè ſplendore decorandam. Sola inquam virtus dignitati menſuram ponit, quæ quantò altiùs aſſurgit, tantò ſublimiora eminentiæ faſtigia petit. Enimverò ſi ad alia præterquam meritorum attendatur ſuffragia; collatus ignavis honos, nec tantillùm ad veram gloriam ſuffragii feret; non enim quidpiam eſt aliud dignitas in indigno, nisì

ornamentum in luto. Rubet ad infamiam, non ad decorem ſplendet, velut cancer in murice qui non directo dignarum Principe virtutum greſſu, ſed retrogrado ambitionis, faſtûs, vel eminendi libidinis, ad purpuram pervenerat paſſu: non quieſcit ſecurè in Senatoria Curuli perſonatus Conſul, qui non præmiſſo laborum ſeniô, præmaturè dignitariam iſthanc occupaverat ſedem. Merita ad faſces viam præſcribunt, nunquam ſplendidiùs ad honoris Capitolium itur, quàm cui per glorioſa geſta panditur porta triumphalis. Arctiſſimus ſit omnino dignitatis cum virtute nexus, quò meliùs & ſuus dignitati accedat ſplendor, & juſtum præmium deferatur probitati; ita virtuti honos, honoriquè reſpondeat virtus, ut reciproco utrumquè decore augeatur. Ita porro; nunquam Dii magna præmia facilè conceſſerunt, ſed cum omnia laboribus vendant, pulcherrima præ primis ornamenta honoris, nonniſi glorioſis actionibus, & conſumatis promeritis deferre conſveverunt. Præmittenda erat Coronæ galea, antequam Victor Orbîs Macedo univerſis gentibus dixiſſet legem, non una bibit ſpongiâ ſudorem, priusquam tegeret laurô tempora Cæſar, poſt exeſas acetô Alpes, nunc primùm Annibali triumphales Latii portæ patuerunt. Fortem nonniſi Athletam Mavortia palma Victorem eſſe oſtendit, ſudores bellicos Civica ſerta deſignant, palmare emenſum iter delatum decertanti in Olympiis bravium teſtatur. Currentibus & navigantibus, certantibus & vincentibus, non mollibus & ignavis æquo Romanorum judiciô victrices diſtribuebantur Coronæ, indomitæ Magnorum Heroum fortitudini, non turpi effæminatæ indolis inertiæ ſolennes decernebantur triumphi, nec Imperii deferebantur ſceptra, niſì manibus ferrô fati-

gatis

gatis. Non enim competit Corona nisì capiti quod ſudavit & alſit, non decet triumphus, nisì probatam inter bellorum æſtus & flammas Gradivi virtutem, non ornant faſces dexteram, nisì quæ pro communi Civium decertavit ſalute: ſecus vileſcit apex, qui non pretiô meritorum emitur, & indignum honore præmiari, idem eſt; quod coronari cucurbitam, vel in ſtipitem ſceptrum conferri.

Perſpexìſti id optimè PERILLUSTRIS DOMINE NEO-DOCTOR, ut immortali Nominis Tui gloriæ maturè proſpiceres, quocirca dum Laureatum Theologici honoris nunc bravium tenes, non aliâ nisì tutiſſimâ virtutis ſemitâ, quam Graves trivere Patres ad illud voluiſti contendere; præmiſiſti merita hercle maxima, priusquàm erudito Capiti Tuo Sacra Cydaris tota Gente plaudente Academica deferretur; emenſus es palmari paſſu cuncta laborum Academicorum Olympia; ut poſt conſumatum ſudorum & curarum curſum, ſub umbra Theologicæ Laureæ, ex æquo coronatus DOCTOR placidiſſimè conquieſceres. Quò verò laudatiſſimarum Tui actionum glorioſiores forent progreſſus, primis ſtatim ab annis ſollicitè & graviter eſt Tibi laboratum, nequè curſum ætatis in feſtinatione virtutis expectaveras. In id omnem contuliſti operam; ut prætextam indutus, judicio & ingenio cum Viris decertans annoſis etiam ad gloriam palmam præferres. Optima quippe indoles primis ſtatim proditur cunìs, neſcit ſub ipſis gloria faſciìs latere, atquè futuræ ſemina virtutis infans quoquè ultro oſtendit natura. Primi ab incunabulis anni ulteriorem vitæ tractum declarant, & quantùm cuiquè reſtet odoris in arido, florida demonſtrat ætas. Habet iſthoc ſpeciale generoſus animus

privi-

privilegium, quòd adhuc ab ubere pendens ad præclara contendat facinora, ingentes animæ vix adolescere incipiunt, jam adultam Orbis expectationem adimplent. Suopte se nutu produnt egregii naturæ partus, nascitur statim in purpura, quæ humanos delectet oculos rosa: rubus qui exporrectam expungat dexteram aculeatis obarmatus sepibûs pullulare incipit: tota duratura æternitate Cedrus ab imis radicibus duro cortice commendatur. Nimirum pendet tota à vere æstas, à flore fructus, ab aurora dies, à fundamentis domus, à tenera ætate dextra vel sinistra provectiorum annorum omina dependent. Atquè inde est; quòd aureos istos virtutum & scientiarum fructus, quos ad nunc in feracissimo omnigenæ perfectionis vitæ Tuæ autumno demiramur, in flore ætatis jam omnes suspicabantur, palamquè in adolescentia Tua ad quæquè optima & honesta composita velut in herba ostendisti, quæ ingenii maturitas, & quantæ fruges industriæ Tuæ essent futuræ. Nam reliqua tempora demetendis aut decerpendis fructibus sunt accommodata juventus verò significat, num amarum lolium; aut pingves aristas, labruscas aut dulces uvas ulterior sit ætas latura. Facilè verò in dextram partem propendere, cum illi cognoscantur adolescentes, qui se ad claros & sapientes Viros, atquè spectatæ virtutis & probatæ fidei conferant, quibuscum si frequentes sint, opinionem afferunt populo, eorum fore se similes, quos sibi ipsi delegerunt ad imitandum: Natura Tua in bonum semper propendens, licèt sua sponte sese ad virtutem & honestatem proveheret, illam tamen optima Sapientissimorum Virorum institutione, & Literarum cultura, ad opportuna Ecclesiæ & Rei Literariæ negotia formari voluisti, à ludis & ludi-

cris

cris puerilibus alienus, indolem egregiam maximorum quorumvis capacem ad ſeria duntaxat aptabas. Cùm verò in ipſis rebus quæ diſcuntur & cognoſcuntur, invitamenta quædam inſint, quibûs ad diſcendum cognoſcendumve moveamur, hinc evenit; quòd animum tuum ſcientiarum avidum à teneris ſtatim liberalibus ſtudiis & honeſtiſſimis artibûs imbueres, ſicq; rerum cognitione captus adeò Muſas adamâris; ut cùm maximis curis & laboribus compenſares eam, quam ex diſcendo voluptatem capiebas. Nequè ſunt vota tua eluſa, nequè toleratæ moleſtiæ & ſuperata ſcholaſtica tædia in caſſum abiere; legiſti ex ferrea laborum ſemente auream eruditionis meſſem, eliciti ad æſtum adurentis Phæbi ſudores in gemmas concrevere, noctium dierumve vigilias, uberrimum ex otio Literario emolumentum, & ſcientifici profectûs uſura cumulatiſſimè rependit.

Atquè cum ita pulcherrimos in literarum ſtudio feciſſes progreſſus, quò indoles tua excelſa plùs plùs ad majora perfectionis accreſceret incrementa, Regni Scholæ & Academicis obeundis laboribus libenter Te devoviſti. (a) Publicum iſthoc Sapientiæ theatrum meritò virtuti tuæ debebatur, ut quæ nusquam latere didicit, ibi illuſtriſſimos Cælo dignarum actionum diffunderet radios, unde in Eccleſiam & ſingulas Reipublicæ partes non modicum ſinceræ eruditionis lumen derivatur. Docta laborum Academicorum aggreſſus Olympia, Literarium hoc ſtadium dexterrimus Athleta palmari decurrebas paſſu, nusquam in itinere çeſpitare viſus, quo-

 cunquè

(a) *Annô Domini 1721. ad primam Lauream promotus ſtante Decanatu Clariſſimi ac Doctiſſimi Domini M. Michaëlis PRUSKI, ad præſens U. J. Doctoris, Univerſitatis Zamoſcenſis Patris Senioris.*

cunquè maturum fixeras pedem, ubiquè glorioſa eruditæ tuæ virtutis veſtigia impreſſiſti. Ludus iſthic ſcientificus à Te integrô bienniô ſeriò tractatus, conſumatum Tibi Liberalibus in Artibus etulit Magiſterium, gemmeo ſudoris rore Philoſophica fæcundata Arena in viridantes ſuccrevit Laureas, quæ erudito Tuo vertici in Doctoralem pulcherrima contentione ceſſere Coronam. (*b*) Perveniſti ad Laureati bravium Honoris ſpinoſa & aculeata duri laboris viâ, non mollibus roſîs reſperſa ſemitâ, gnarus bellè; in arduo excelsoquè loco, ſi omnem; eruditum hercle potiſſimùm habitare honorem, confragoſum huc iter aſperumvè eſſe haud facilè ſuperandum. Academicis ornatus titulîs, ad quos dignitate ingenii & doctrinæ, non ambitione vel faſtu perveneras, dum indefeſſus & laborioſiſſimus Profeſſor in Doctorali ſtetiſti Cathedra, quantò ſuperiori laureati Honoris locô eminentior, tantò elevatiſſimæ ſublimitate mentis præſtantior es viſus. Docta non aliter ſubintrabas Lycæa, nisì ornatiſſimo Muſarum comitatus apparatu, in quibus quantùm admiranda illa vi ingenii poſſes, quantùm arte & doctrina valeres, noverunt omnes, quotquot de plenitudine ſapientiæ Tuæ lac eruditionis & dulcem ſcientiarum pleno ore ambroſiam hauriebant. Literariam quoties eruditum decertaturus certamen tota Pallade armatus deſcenderas in arenam Philoſophus, toties triumphans poſt confecta prælia Victor recedebas, palamquè oſtendiſti, non ſolùm Mavortium campum, ſed etiam doctam aciem eſſe Laurearum feracem, quæ æquè Heroicæ dexte-

(*b*) *Annô Domini 1723. Doctor Philoſophiæ & Magiſter in Artibus Liberalibus creatus, ſtante Decanatu Perilluſtris Clariſſimi & Admodùm Reverendi Domini M. Franciſci KALEWSKI expoſt Sacræ Theologiæ Doctoris.*

dexteritati ac ſtrenuæ Literatorum virtuti in victrices ſuccreſcunt corymbos. Peripatheticam philoſophandi ſectam profeſſus, inſtitutum ſui amplecti haud Tibi placuit, utpote cujus animi ſingulare oblectamentum erat, libris continuò accumbere, ſedatæ lectioni dierum noctiumve redeunte vice, ad Solis labores, & Cleantis invigilare lucernas, ne Te ambulatorium in Statione Academica redderes Profeſſorem.

Spectârunt in Te & probârunt iſthas nobiliſſimas animi dotes primi Academiæ Patres ipſaquè Univerſitas talem tantumve plurimùm ſibi eſt gratulata Virum, qui ùt non unam par eras ornare provinciam; ita ſingula ſeſe offerentia munia, ea alachritate complectebaris, quæ ſtudioſiſſimos boni communis decet amatores: ea dexteritate ſuſcepta perficiebas, quæ optimis Reipublicæ Literariæ Civibus eſt ingenita. Nulli Tu labori manum quandoquè ſubtraxeras, indignum Viro præſertim Academico reputans timere laborem: ſed quòcunq; ſive vota Patrum obedientem filium vocarent, ſive Cathedræ Doctorem invitarent, ſive Roſtra Sacrumve profanumve Oratorem popoſcerent, ſive longè latèquè per ampliſſimas Poloniæ, Lithuaniæ, Pruſſiæ Provincias diſſitæ Academiæ, Scholæ, Coloniæ, quà laborioſum Colonum, quà doctiſſimum Magiſtrum & Profeſſorem ultrò ad ſe pulcherrima æmulatione pertraherent, ubiquè lætus & alacer non ibas, ſed volabas, amore publici commodi alas miniſtrante. (c) Unanimi Ordinum Academicorum votô Albenſi in Lithuania Academiæ in digniſſimum delectus Directorem, tenera Adoleſcentum ingenia ad honeſti rectiquè a-

(c) *Annô 1724. in Albam Ducalem profectus, integro trienniô Directoris illius Coloniæ officiô eſt functus.*

morem præceptîs adhortamentîs, exemplîs, diligenter formabas, feliciterquè ſucceſſit iſthæc Tibi animorum cultura, ex qua Eccleſiæ & Patriæ aurea Virorum meſſis adolevit. Arduo Profeſſoris officio ita ſtrenuè es functus; ut duo illa Platonis præcepta ad amuſſim adimpleres: unum; quòd utilitatem concreditæ juventutis ſic tuereris; ut omnia quæcunquè ageres, ſuorum etiam oblitus commodorum ad eam referres: alterum; quòd totius ſemper diligentem gereres curam, nec ita ſingulos curares, ut reliqnos deſeruiſſe videreris. Noſſes verò cùm optimè; nihil eſſe fædius Præceptore furioſo, qui cum debeat eſſe manſvetus & humilis ad omnes, è diverſo ſi torvo vultu, trementibus labiîs, rugata fronte, effrenatis convitiîs, facie inter ruborem palloremve variata, clamore perſtrepat, non tam ad bonum trahit, quàm ad malum ſua ſævitiâ præcipitat: hinc eſt; quòd nunquam aut triſtem auſteritatem, aut diſſolutam comitatem præteferres; ſed graviter ad amænitatem compoſito vultu, ingenuas juvenum indoles ſvaviſſimô amoris imperiô, ad quæquè optima & honeſta & invitabas & urgebas. Sic cùm Lithuanum Orbem inſtitutionis Tuæ laudatiſſimæ gloria, ſummo Matris Univerſitatis honore & gaudio impleviſſet, Pruthenæ ornandæ es admotus Provinciæ, ubi ampliſſimum benè merendi campum inveniſti. (*d*) Egiſti inibi nedum laborioſiſſimum ùt aſſoles Profeſſorem, ſed acerrimum quoquè Jurium Academicorum Propugnatorem, neglectam priſtinæ dignitati, & primævo flori Culmenſem reſtituiſti Coloniam, collapſos vindicâſti cenſus, prætenſam quorundam juris alieni uſurpationem

(*d*) *Annô 1727. Culmam pariter in Directorem deſtinatus bienniô illi Academiæ glorioſè præfuit.*

nem fortiter impugnâſti, ingenti Juventutis illarum partium emolumento, & tuo non minori honore, quàm promerito. Si alicubi, hercle hìc potiſſimùm prudentia Tua in rebus gerendis, & non fucata eruditio in docendo eminuit, quâ ſubjectos regebas juvenes, quâ ſcholaſticas ſtabiliebas leges, quâ caſtigabas improbos, quâ tuebaris bonos, quâ laudabas diligentes artium honeſtarum Cultores, quâ præcepta laudis & ſalutis aptè ad perſvadendum teneris imprimebas ingeniis, quâ hortabaris ad decus, revocabas à flagitio, quâ facta & laudabilia proborum ſtudioſorum opera, cum ignavorum ignonimia conferendo, laudis prædicatione & præmio afficiebas. Viget adusquè gratiſſima tua in illis partibus memoria, hæret in eorum animis dulcis Nominis tui recordatio, quos perenni Tibi obſtrinxeras obligatione: nemo eſt illorum liberaliter à Te educatus, cui non Tua fidelis inſtitutio, cui non ſalutaria monita, cui non locus ille mutus, qui pulcherrima tua reſonabat eruditione, cum grata commemoratione in mente verſetur.

Non hìc tamen terminalis tuorum meritorum meta, parva iſthæc erat Virtuti tuæ Provincia, trajecto feliciter Viſtula, ad Varthæ temet contuliſti fluenta, majorem gloriæ tuæ quæſiturus locum, in Polonia ſteтiſti Majori. (e) Ea eſt profectò virtutis natura; ut locorum nunquam limitetur anguſtiis, nec Herculeas pro obice habeat columnas, ſed ubi famâ dignitatis ſuæ omne ſpatium impleverit, novam honori ſuo, etiam ultra Mundum Coloniam inquirat. Quid enim gloria virtutis comes? ſi non pervagata multorum & magno-

(e) *ab Anno 1729. usq; ad Annum 1734. Seminarii Poſnanienſis Præfectus Theologiam profitebatur.*

rum Virorum, vel in ſuos Cives, vel in Patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum? volat iſthæc per ſingulas Orbis regiones, ex una in aliam oram velociſſimo defertur curſu, ut ubiquè gentium & terrarum vocaliſſima audiatur. Sic & Nominis Tui celebritas, per Culmenſes reſonans montes, vicinæ quoquè Majoricæ laudabilem invidiam peperit, invidia æmulationem, æmulatio Tui deſiderium accendit, quod non aliter reſtingvi potuit, nisì integro Sapientiæ Tuæ profundô. Quo cum gaudio, quo cum jubilo Diœceſanum Cleri Poſnanienſis Seminarium digniſſimum ſuum Te conſalutavit PRÆFECTUM, quis ſatìs cumulatè exprimere valeat? qui quantò majori omnium expeteberis votô, tantò ampliùs prolixiori lætitiâ tædioſas ſingulorum expectationes coronaſti. Honorificam iſtiusmodi non minùs tamen oneroſam amplexus ſpartam, quid non egiſti? quantos non tuliſti labores? quantas non ſuſcepiſti curas? quantas non vigilias impendiſti? ut idonea obeundis Eccleſiæ muniis ſubſtitueres ſubjecta, ut ad uſus Sacros aptos formares Viros, ut exercitatiſſimum Aris, Paræciis, Stallis Clerum provideres: norûnt optimè Eccleſiæ, loquuntur Cathedræ, ipſiquè Templorum parietes declamant. Teſtes verò ſunt laborum tuorum maximorum illi favores Summorum in Majori Polonia Virorum, Primorumq; hujus Provinciæ Procerum, quorum corda, magnetica quadam virtute in Tui pertraxiſti amorem, apud quos æſtimationem & plauſum hercle non vulgarem promeruiſti. Notum omnibus quo loco apud ILLUSTRISSIMUM EXCELLENTISSIMUM & REVERENDISSIMUM DOMINUM JOANNEM TARŁO, EPISCOPUM POSNANIENSEM poſitus fueris, quantùm

Ille

Ille primæ authoritatis Senator nobiliſſimas Tui animi dotes adamârit, qua te ſingulari benevolentia proſequeretur, quantusve eruditæ tuæ virtutis fuerit encomiaſtes & laudator. Iſthæc verò præcipua ſpecialis benevolentiæ tanti Viri documenta, non cæco fortunæ reſpectu aut blanda aſſentationis (quod uſuveniſſe comperimus) circumventione lucratus es, ſed laboribûs merita, meritìs virtutes, virtutibûs *Illuſtriſſimi Antiſtitis* gratiam comparâſti, induſtriâ auxiſti, innocentiâ ornâſti, animi robore, multis magnîsquè pro Eccleſiæ bono ſuſceptis curìs confirmâſti & ſolidâſti. Quid verò dicam de incredibili illa tenerrimi affectûs teſtificatione ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI FRANCISCI KAZNOWSKI, EPISCOPI DOMITIOPOLITANI, SUFFRAGANEI & OFFICIALIS GENERALIS POSNANIENSIS ? cujus animæ arctiſſimo dilectionis vinculô in tantùm eras agglutinatus; ut Tibi intima præcordiorum pandere non dubitârit: ei Tu ſuperſtiti à corde fueras cariſſimus, ejus demortui Virtutes, Nomen & merita perennibus inſcripſiſti æternitatis faſtis. Inſequebaris vectigali pennâ palmarem *Gentilitiæ Ejus Soleæ Curſum* (*f*) illam pro ſcopo terminalem intendens metam, in qua poſthuma *Ampliſſimi Præſulis* memoria cæpit perennare. Qua verò laudis prædicatione non debeant extolli, Theologicæ, ſi in paginam venerint diſceptationes Tuæ? quô non opus ſit celebrari elogiô ſeu Sacram, ſeu profanam Eloquentiam ? quæ quoties perſuggeſtus & Roſtra inſonuit, nunquam ſinè publico plauſu, & communi approbatione audiebatur: nusquam Tu

 à docto

(*f*) *Panegyris in obitum Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. Franciſci Każnowſki Suffraganei Poſnanienſis, luci publicæ donata*, Curſus Soleæ *inſcripta.*

à docto conflictu receſſiſti ſinè victoria Theologus, nunquam ſinè triumpho deſcendiſti Orator. Ille glorioſiſſimus ex Theologicis Theſibus ſolennîs Diſputationis Actus, quem in publica *Illuſtriſſimi Poſnanienſis Capituli* facie, in Ampliſſimo Sapientiſſimorum Virorum conſeſſu, cum maximo Gentis Togatæ expediviſti honore, quam non Tibi exiſtimationem conciliavit? quam gloriam non detulit? non modicum hercle iſthoc elevatiſſimi tui ingenii argumentum, meoquè judició laus neutiquam poſtrema.

Suffeciſſent iſthæc ad perennem Nominis Tui commendationem; juſtam tamen meritorum tuorum nondum adimplêrunt menſuram: idem Tibi qui & Herculi animus, cui parum erat colubros diſrumpere ſævos, niſì ſepticipem Hydram, Erymantheos Apros, & Stymphaleos Alites enecaſſet, ſicquè poſt ſuperata laborum pericula, Heroicam ſui fortitudinem, lucidiſſima inter ſidera Poli, perpetuo lumine feciſſet radiare. Sic & celeberrima laudatiſſimorum tuorum promeritorum fama, quæ longè latèquè ampliſſimas Lithuaniæ, Pruſſiæ, Majoriſquè Poloniæ regiones eſt pervagata, virtuti tuæ nequaquam terminum metamq; poſuit, imò verò ad difficiliora tentanda, audendumq; majora cordatiſſimum accendit pectus. Pulcherrima hæcce laborum Corona, quæ cæteris jam aliàs ſufficiens ad coronidem foret, Tibi ad majores præluſit curas, & ubi pleriq; proſtratis viribûs manum labori ſubtraxerant, Tu & animo & corpore erectus, gravioribus ferendis oneribus fortes ſuppoſuiſti lacertos. Reverſus es ubi feliciter magna Ordinum Academicorum voluptate, inſigni Tuarum expectatione virtutum, Majori è Polonia redux in ſinum Almæ Matris, à quo aliquantùm ſeceſſeras,

non

non vana facilè quiquè conjecturâ consequebantur qualis, quantusve domi futurus esses, cum perspicua qualis foris fuisses antea documenta dares." Et jam „ illorum laborum quos gravissimos per tria lustra in- „ defessus Professor sustinuisti, primum fructum decer- „ pseras, jam scilicet laborem pro labore tanquam „ præmium & solatium lucratus fueras, jam in hoc „ Collegium Philosophorum quod minus appellatur, „ propter minimas redituum fortunarumquè accessio- „ nes, more solenni Majorum vocatus fueras, (g) jam „ hæseras quasi ad metam, & in Parnasso amæniori fueras „ collocatus, in consortiumq; Virorum receptus, è quo- „ rum numero cum opus est; Clarissimum Collegium „ Jurisperitorum, Doctores, Jagelloniana sparta, Regi- „ os Professores, Nobilissima Medicorum Familia, „ aut Theologorum sublimis & Augusta Facultas, ope- „ rarios eximios eligit & secernit sibi „ (h) cum ecce iterum, velut avis ad volandum, ita Tu laboribus Academicis tanquam ipsâ naturâ destinatus, ad explorandam penes Marchionales Aquilas ingenuam Polonæ Alitis pullorum indolem, ùt aliàs Vir hoc in negotio probatissimus, summo Patrum consensu delectus es & ordinatus. (i) Quanta id munus dexteritate gesseris, non est cur multis efferam; sciunt consequenter omnes, quibus prudentia Tua in sedandis fluctuantis juventutis motibus, facillima erudiendi methodus, in formandis teneris animis, atquè maturum utrobiquè judicium notum satìs perspectumquè habetur. Non enim

 ùt bel-

(g) *Annô Domini 1734. redux è Majori Polonia inter Collegas Minores annumeratus*

(h) *Joannes CYNERSKI in* Professore Academico.

(i) *ab Anno 1734. ad 1737. Director Academiæ Marchionalis Pinczoviensis, trienniô eidem præfuit.*

ùt bellicoſus Heros, atquè cruentis Gradivi exercitatiſſimus negotiîs, ita Vir eruditione, virtute, & docendi Magiſteriô clariſſimus, commendationem ſui à laudantium calamo expectat: ſed ùt illi reportatæ de hoſte victoriæ; ita huic parti animorum triumphi cumulatiſſimam elogiorum materiam ſubminiſtrant. Probat Gubernatorem navîs feliciter ſuperata tempeſtas, Scyllæ Charybdesquè prudenter evitatæ, & ſervata navigantium ſalus, artem & diligentiam ſui commendant: Tibi MYSZKOVIANARUM Claſſium circumſpectiſſimo Argonautæ, ventoſum illud juvenilis ætatis mare pacificè compoſitum, & deductæ fauſto ſidere ad portum bonæ ſpei carinæ , ùt ſummam gloriam adferunt, ita placidiſſimam morum malaciam, & proſperum ſtudiorum curſum referunt in acceptis.

Labor tamen labore creſcit, & unius rectè adminiſtrati ratio, ſuſcipiendi alterius eſt argumentum; animus tuus tot curîs & ſudoribûs induratus, cùm omnia in natura operari advertiſſet, monſtrum eſſe hominem otiantem judicâſti; ac ideo de labore in laborem procedens, ſudoribûs ſudores abſtergens, operoſis exerceri negotiîs continuò voluiſti, & æterno Superûm conſiliô tibi collata, ambabus (ut ita dicam) manibûs amplectabaris. Purpura Decanalis quæ Principem inter Artiſtas obtinet locum, ingentibus confectos laboribûs, non tamen enerves, urgentibus ultrò Facultatis Philoſophicæ ſuffragiîs tuos veſtivit lacertos, (*k*) honor fateor authoritatis primæ, onus procul dubio maximum, iſthoc quantum bajulos ſui premat Athlantes! nemo niſi expertus intelligit, quod fortiſſimarum non nunquam virium

(*k*) *Annô Domini 1737. revocatus ex Academia Marchionali in Decanum Facultatis Philoſophicæ concordibus votîs electus.*

rium Viròs pondere ſuò depreſſit & oppreſſit. In tam ſublimi dignitatis conſtitutus gradu, eò copioſiores profundebas ſudores, quos anxia ſubjectorum Decanali tuo regimini eliciebat ſollicitudo, more eorum, qui quantò altiori ſedent in balneis loco, tantò abundantiùs ſudant: gemmei tàmen frontis Tuæ eruditæ rores, illos Sapientiæ continebant ſales, ex quibus ingenioſæ apes dulcia mella colligebant. Inter æſtivos Solis ardores purpureus hic pannus, gravis Tibi, minimè verò moleſtus erat ornatus, quem ferventiſſimum boni communis alleviabat deſiderium, & publica Rei Literariæ commoda curarum æſtus ſvaviſſimo attemperabant flabellô. Parùm nihilominus erat Te tantis premi oneribûs, nisì nova laboris moles, in eruditum tuum devoluta caput, pondus ponderi addidiſſet, curas accumulaſſet curîs, fortemquè animum nulli cedentem conatui ad graviora ferenda molimina urgeret. Iſthæc profectò me hercule præcipua eſt magnanimorum gloria Virorum, quòd impendentes labores, quos timidæ ſolent expaveſcere mentes, inſuperabili perferant virtute, & adversùs quasvis moleſtias imperterritum animum obfirment. Vitreus ille habetur, quem levis curarum frangit attactus: mentem tuam ſolido adamante conflatam, nullo ictu uſpiam concuſſam ſub ferrei malleo laboris fortiùs conſolidari quis non novit? quem ùt onus Decanalis non fregit honoris, ita oblata Cursûs Philoſophici ſparta, Vladislavianum Profeſſorem parem & æquè firmum ac ſolidum eſt experta. (l) Promptiſſimô & non cunctanti ùt aliàs ſoles animô, palmarem iſtiusmodi aggreſſus Curſum, rectiſſima veritatis ſemitâ

 avidis

(l) *Curſum Philoſophicum Fundationis Vladislavianæ bienniô primùm ex Collegio Minori extradidit.*

avidis ſcientiarum Cultoribus præcurrebas ad metam, non per devia & abrupta errando, ſed plano & trito pateticæ doctrinæ itinere, ad intentum eruditionis terminum eosdem inoffenſo pede feliciter deduxiſti. Tot tantisquè exantlato laboribûs, tot ingentibus confecto curîs, æqua operoſæ præmiatrix Virtutis, præmiorumve diſpenſatrix Mater Univerſitas, debitum tandem quod hactenus remorata erat ſtipendium detulit, dum Te Majori emeritorum de Re Literaria Virorum Collegio aſſociari & voluit & curavit. (*m*) Nihil hoc in paſſu fortunæ debes; candore enim tuo & per iteratas meritorum inſtantias, non cæca ſorte, aut inſtructa ſuffragatione quærendum virtuti tuæ præmium exiſtimâſti: hoc enim in primo ad Stationem Academicam ingreſſu enixè Tibi laboratum eſt; ut honore primùm dignus redderere: deinde ut laudabili æſtimatione omnium floreres: ultimum quod ſupereſt, ut eò major Nomini Tuo gloriæ celebritas accederet; ſi ex collatis honorum titulis, dignitati tuæ teſtimonium, non ambitioni vel faſtui gratuitum beneficium deferretur. Omnibus quippe chariora ſunt ſua opera, quæ ſummo labore confecta ſunt, illaquè pluris æſtimamus, in quorum aſſecutione plus meriti impendimus: quæ verò ſponte & quaſi donô fortuna offert, ex illis minus gaudium & voluptatem percipi, continuo uſu atquè experientiâ docemur.

Hac operoſæ virtutis Appiâ, dum Academici Capitolium ſubintrâſti honoris, eruditos iterum labores à capite repetiiſti, non alium horum niſi eundem, quem & mortalis vitæ exitum habiturus. Innutritus quippe labo-

(*m*) *Annô Domini 1738. gremio Collegii Majoris annumeratus.*

laboribus animus tuus, desidiâ nequaquam consumi potuit, grandibus exerceri negotiis assvetus, omne temporis momentum perditum iri arbitrabaris, quod non novo de Re Literaria promeritô fecisses memorandum. Crescant sub calamo laudes Tuæ necesse; ubi ingens materiæ elogiorum cumulus accrescit: multiplicentur encomia, ubi merita augentur: si tamen tantùm Oratio assurgere valeat, quantùm gloriæ tuæ magnitudo est provecta. Decanales Philosophici honoris unà cum Purpura Fasces iterum in manus humerosquè devoluti tuos, (*n*) eundem Te, quem & ante Atlantem repererunt, aliàs fortem, robustum, infractum, pari quoquè Tu eos gessisti virtute, æquali dexteritate & animô toleràsti invictô. Felix illud sceptrum, quod Tonantis retinet dextera, felix Cydaris, quâ aurei Parens sæculi redimitur Saturnus, felix caduceus, quem Mercurius gestat, felicior Purpura Decanalis, quæ Te illum ornavit Principem, à quo & reciprocus Murici accessit splendor, & summa in Peripathum est gloria derivata. Non tamen isthic Purpuratus honos, auxit in Te superbiæ ullam, ac ne levissimam quidem suspicionem, (licèt in alto positis non altum sapere diffiicile sit, & omnino inusitatum, sed quantò inusitatius, tantò gloriosius) verùm profundam animi excitavit demissionem: non arrogantiam, sed amænissimam morum gravitatem, non rigidum supercilium, sed modestiam & affabilitatem in fovendis gratiosè Professoribus confirmavit. Quantùm felicissimum placidissimumve Tui regimen Genti Togatæ placuerit, vel exinde ventura discat posteritas; quòd cùm ambulatorii hi Fasces identidem de manibus

 in

(*n*) *Decanus Artistarum 2dò electus ex Collegio Majori.*

manus transferantur, eosdem trinis vicibûs (o) summo Artistarum desideriô, communibus Facultatis Tibi delatos suffragiîs, & notabili Stoæ incrementô, & maximo Laureatorum Virorum augmentô ac gloriâ, & perenni Nominis Tui fama atquè memoria Princeps Purpuratus gestares. Nequè verò Decanalis isthæc sparta adeò Te totum occupaverat, quin simulac integer alteri superesses; ita Tu in omnes exdividebaris labores, ut singulis non diminuta mente & animo præsentissimus fores. Vice secunda, sed & omine studiosarum mentium secundissimo, Philosophicus Cursus omnibus vastior Olympiîs tibi obvenerat terendus, (p) descendisti victorioso in arenam Palladis pede, fortis ùt olim Athleta, nec priùs ab erudita recessisti agonia, donec gloriosum emensus iter, bravium metamquè teneres. Quis hìc incredibilem illam ingenii tui subtilitatem satìs poterit demirari? quâ abstrusa Philosophicarum difficultatum attingebas arcana: quis mentis acumen sufficienter stupebit? quô intricatissimos feliciùs quam Macedonis gladiô resolvebas nodos, & occurrentes mutuò colluctantium opinionum prudentissimè controversias dirimebas, nihil dubium, obscurum, innodatum; omnia clara & patetica relinquens. Tantîs sudorum tuorum profluviîs Philosophica fæcundata arena, non sterile lolium, sed auream Virorum Tibi germinavit messem, in viridantes succrevit Laureas, quas ut felicem manuum tuarum laborem, in eruditæ coronamentum non semel demessuisti virtutis. (q) Sexaginta sex Virîs cùm Artistarum Facul-

(o) *Iterum 3tiò ad Dignitatem Decanalem evectus, quod quidem perpaucis accidit.*
(p) *Cursum Vladislavianum integro bienniô, vice altera extradidit.*
(q) *ad primam Lauream 22. Juvenes promovit ter, quà Decanus; bis ad Magisterii gradum 44. Viros.*

Facultatem auxiſſes, quibûs Laureîs novellos pluries ad id delectus Promotor ornâſti Philoſophos, illæ ampliſſimis Tuis meritis, laboribus, & virtuti in pulcherrimam gloriæ ceſſere Coronam.

Atquè hæc ſunt certè maxima (communi loquor omnium bonorum ſenſu) eruditæ Tuæ virtutis argumenta PERILLUSTRIS DOMINE NEO-DOCTOR, quæ per quinque integra in Statione Academica luſtra, eò Te dignitatis provexere; ut nemo mortalium eſto invidiâ rumpatur, ire inficias queat, quin Tibi ſatìs ad celebritatem famæ, ſatìs ad Nominis commendationem, perpetuamve memoriam cumulatiſſimè ſufficere poſſint: aſt dum illos tacitus mecum recogito, quos Tu Theologus exantlaveris labores, quos profuderis ſudores, quas ſuperâris difficultates, quos deniquè conatus ſubieris; ingenuè fateri cogor, poſteriora prioribûs tantò ampliori digna fore elogio, quantò majori intervallô Divinarum rerum contemplationem, humanæ anteferri ſcientiæ, in confeſſo habemus. Quis enim eſt? qui ſive in evolvendis Myſteriorum Fidei arcanis ſive in demonſtranda vi & efficacia Sacramentorum, ſive in explicanda quantùm humanum fert ingenium, incomprehenſibili illa, atquè à cognitione noſtra remotiſſima DEI Eſſentia, & infinitis Ejus exponendis Attributis, Relationibus, Proceſſionibus, ſive in regulandis humanis actibus, & inſtituenda vitæ Chriſtianæ ratione, Cæleſtem quandam Tibi mentem reſidere contendat? qui cùm iſthæc omnia, quæcunquè aut in *Theologia Speculativa*, cùm altitudine ſua captum excedunt, tum abyſſali profunditate velut ingens pelagus cogitationes hominum abſorbent, feliciter attigeris, atquè faciliter penetrâris: aut quidquid in *Sacramentali*, Divinis involutum

Myſte-

Myſteriis, velatum ſignis, arcanum effectibus, ab oculis alienum, planè aperueris, & velut ad ſenſum demonſtrâris: aut quidquid demum in *Morali*, dubium, ambiguum, ſcrupuloſum, reſolveris ſolidè, enucleaveris apertè; pateticis exhibes documentis eam Tibi animo ſublimitatem ineſſe, eam ingenio ſubtilitatem convenire, eam doctrinæ claritatem competere, quâ nobilior vel præſtantior nedum haberi, ſed vix quidem exoptari poteſt. Nôrunt vaſtiſſimam mentis Tuæ capacitatem, quâ omnes Doctorum ſenſus circumferre videris, quicunquè Te docentem ex Cathedra audierunt Profeſſorem, quicunquè domi & foris res circa Divinas acriter ſolidèquè diſceptantem mirabantur Theologum, (r) novimus inquam Academici, habent ſumma exiſtimatione Sacræ Religioſorum Ordinum Familiæ, & quibus vel eruditionis Tuæ haurire perfectionem, vel à longè ſaltem famam Nominis Tui venerari conceſſum, omnes ij omnino maximas Tibi partes deferunt, & primum inter Sapientiſſimos noſtræ ætatis Viros locum facilè concedunt. Exhauſiſti totam Aquinatici Maris abysſum; ut illam per rivulos in ſtudioſas diffunderes mentes, abſorpſiſti omnem Thomiſtici Solis plenitudem; ut eam per radios in auditorum diſpargeres animos, integram Angelici Doctoris Summam intra ærarium aurei Tui Capitis recondiſti; ut ſingulas eòusquè diſpenſares per partes, donec extradidiſſes per omnes. Tria propè per luſtra Sacra in Facultate Profeſſor, (s) omnes Theologicos perluſtrâſti & illuſtrâſti Tractatus, *Sacramenta-*

lem

(r) *In omnibus ferè Religioſorum Ordinum Conventibus, tam intra, quàm extra Urbem, frequentiſſimè expoſitas Theſes invitatus oppugnabat.*

(s) *Annô Domini 1746. poſtquam ad Sacram Facultatem acceſſerit, præter id quod pluribus annis Hiſtoriam Eccleſiaſticam à Nativitate Chriſti prælegeret; Curſus, Sacramentalem, Moralem, Speculativum numeroſiſſimo Auditori extradidit.*

lem, Moralem, Speculativum emenſus *Curſum*, nihil in hoc ampliſſimo tractu reliquiſti intactum, ſuperâſti quæ erant ardua, elucidâſti quæ obſcura, patefeciſti quæ abſcondita, communi Orbis Literarii conſenſu, citra omnem aſſentationis colorem, omni numerô abſolutus Theologus meritò habendus. Ecquis igitur tot tantosvè tuos labores communi Rei Literariæ emolumento donatos ſatìs dignè penſârit? ecquis maximis promeritis, non quàm ampliſſimos decernendos honores judicârit? ecquis Sacram, quam obtines Lauream, non ex æquo virtuti ſudoribusquè tuis deberi, auſit inficiari?

(r) Nequè verò Theologicum iſthunc honorem ita promereri voluiſti, ut laudatiſſima tua opera, domeſticos duntaxat angulos adimplerent: ſuperavit has anguſtias celeberrima Tui Nominis fama, & ad extra provecta in glorioſis publico donatis perennat factis. Parum aliàs es arbitratus, Academico tantùm allucere luco, niſi clariſſimum virtutis tuæ lumen foris etiam illuſtriſſimos ſuos radios propageret: ita enim Te Cathedris devoviſti; ut dexteritas tua ad alia quoquè tractanda negotia, atquè munera par obeunda foret. Ad Generalia Regni Varſavienſia Comitia, Univerſitatis votô vice gemina LEGATUS electus, (t) quanta prudentiâ & conſiliô oneroſam illam gereres provinciam, quanta virtute ſuſtineres, ille noverit ſatìs, cui judicii maturitas, rerum adminiſtrandarum ratio, & lucidiſſima illa animi tui lucerna probè perſpecta habetur. Succedebant ad vota ſecundè res noſtræ Academicæ, pro quibus apud Illuſtriſſimos Regni Ordines ſollicitus inſtabas, ſtabat

 firmiter

(t) *Ad Comitia Regni Varſavienſia in negotio Univerſitatis bis electus Legatus.*

firmiter ſuo in cardine negotiorum Univerſitatis moles, quam conſiliô tuo, oratione, prudentiâ, ſuſtinebas. Fuit Tibi magnopere laboratum; honorem & gloriam Gentis Togatæ ſuo in flore retinere, jura & libertates Rei Literariæ ſalva & illæſa conſervare, corda & favores Procerum promereri, & in partes Almæ Matris pertrahere, & quidquid ſeu ſtudiorum incrementum, ſeu bonum nomen & famam Academiæ attinet, omni cura, ſollicitudine & conatu promovere, evincere, atq; fortiter propugnare. Perſpexit in Te iſthanc rebus in agendis dexteritatem, & quod maximum eſt, puriſſimum vitæ exemplaris candorem, atq; intaminatam morum integritatem, CELSISSIMUS olim ILLUSTRISSIMUS & REVERENDISSIMUS DOMINUS, STANISLAUS KOSTKA *in Załuſkie* ZAŁUSKI, EPISCOPUS CRACOVIENSIS, DUX SEVERIÆ, EQUES AQUILÆ ALBÆ, *Univerſitatis Cracovienſis Faventiſſimus & Liberaliſſimus* CANCELLARIUS, *Præſul, Princeps & Senator* nullo ævô ſatis dolendus, qui cùm Clero ſuo Diœceſano ùt vigilantiſſimus Paſtor, & Eccleſiæ commodi zelantiſſimus amator, vellet providere, quò ampliora in Sapientia & Religione caperet incrementa: Seminario Epiſcopali-Diæceſano ſumma ſua liberalitate fundato, tuis verò curîs, vigiliîs, conſiliô & prudentiâ erecto, non alium, niſi Temetipſum, Virum aliàs ſanctum & ſapientem in Præfectum & Proviſorem conſtituit. (*u*) Quod grave munus, ex quo pendeat Eccleſiæ dignitas, & Diœceſis totius emolumentum, ùt in partes tuas magna ſuſcepiſti virtute; ita adusquè laudabiliter perficis Divina quadam felicitate.

Omnes

(*u*) *Annô Dòmini 1749. liberalitate* Andreæ Załuſki Epiſcopi Cracovienſis, *reſuſcitato Seminario Academico-Diæceſano in Præfectum & Proviſorem conſtitutus.*

Omnes verò eò cogitationes defixas tenes, omnia ſtudia dirigis, omnes conatus, nihil vitæ, nihil ſanitati parcens impendis; ut Gregi Dominico, quem ſibi Deus in hæreditatem ſuam eo in loco ſecreviſſet & aleret: exemplô præſis, integritate & innocentia præluceas. Quorum Tu tam in Literis quàm in virtute laudabiles & pulcherrimas progreſſiones, tantidem, quanti vitam propriam, & fidem Deo datam faciens: nihil omittis, nihil non tentas, quod aut ad inſtituendos eorum animos, aut ad recti regulas componendos conferre poſſit. Quò verò feliciùs in virtute & Chriſtiana Sapientia proficerent, ijsdem nedum *Exercitium Compoſitionis Spiritualis*, Meditationes inquam Hebdomadarias, Fundatoris ZAŁUSCII Nomini inſcriptas, anagogicis reſperſas actibûs, (x) ſed etiam ſanctas & ſalutares leges præſcripſiſti: (y) quomodò rectè honeſtèquè viverent, ſtatutìs ſanxiſti, quomodò mores vitamquè formarent, conſiliô, præceptô, exemplô ſufficientiſſimè informas. Nihil dico; quâ eſſes ad honeſtatem eorum cautione: quâ in docendo ſollicitudine & attentione: quàm accurata & continua, ut unumquemquè de integro interpolares, vigilantiâ: cùm fideliſſimè & graviſſimè moneas, quid eos ſequi, unde abhorrere, ut in offenſo vitæ curſu ætatem ſuam decurrant, oporteret. Ex quo conſecutum eſt; ut inſignem ex tali inſtitutione Diœceſis tota perciperet fructum: nam quicunquè ex ea proficiſcuntur diſciplina, quaſi exempla quædam Sacerdotalis dignitatis inter homines verſantur. Etenim in ſermonibus & operibus tuis in-

(x) *Annô proximè ſequenti* 1750. Exercitium Compoſitionis Spiritualis, ſive Meditationes Hebdomadarias, *ad uſum Seminarii, luci publicæ donatas* Załuſciano Nomini *inſcripſit*.

(y) *Leges & Statuta Seminarii compilavit, idemquè in debitum ordinem prudentiſſimè redegit.*

tegerrimis, quaſi in Libro originali, jam ante legerant: quomodo eos cum Deo ambulare, & cum hominibus vivere oporteret. Spectat hæc pulcherrima & maxima Eccleſiæ incrementa CELSISSIMUS PRINCEPS, ILLUSTRISSIMUS EXCELLENTISSIMUS & REVERENDISSIMUS DOMINUS CAJETANUS SOŁTYK, EPISCOPUS CRACOVIENSIS, DUX SEVERIÆ, EQUES AQUILÆ ALBÆ, *Univerſitatis Cracovienſis Faventiſſimus* CANCELLARIUS, feliciter modernus: nec ſinè ingenti animi voluptate, atquè ſingulari interna dulcedine eadem intuetur; unde cùm majora in dies Diœceſis ſua ex idoneis ad uſus Eccleſiæ Viris, in Religione percipit incrementa: pientiſſimam *Anteceſſoris ſui* fundationem, ùt ampliſſimis favoribus atquè ſpecialibus benevolentiæ teſtimoniis proſequitur; ita ſumma nobiliſſimarum dotum tuarum, & probatæ virtutis æſtimatione tenetur.

Nequè verò iſthæc eſt meritorum tuorum de Eccleſia menſura, creſcunt illa continuò, donec ad ſummum gradum provehantur. Equidem ſive Tu *Synodalis Ordinandorum & Approbandorum Examinator*, doctos Eccleſiæ Myſtas, & gnaros conſcientiarum Judices, magna circumſpectione, nec minori judiciô provideas; (in quo quidem totius Religionis vertitur cardo) ſive ignaros & ignavos Paſtores ab Ovili Chriſti arceas, vel ad ſaniorem ſalutari adhortamentô mentem reducas: utrobiquè ingens in Eccleſiam emolumentum, atquè maxima commoda derivantur. Quid verò dicam de Paſtorali circa Eccleſias Regimini tuo concreditas cura, & ſollicitudine? recognoſcunt Te laborioſiſſimum Vineæ Domini operarium: Chriſti ovilia zelantiſſimum & pervigilem Paſtorem ultro fatentur: prædicant Dei

&

& Tuæ Sponsæ, nedum amantissimum, sed etiam providum & munificum Sponsum: clamant templorum parietes pietatem tuam, loquuntur de parietibus lapides, quos liberalitate tua in Superos animâsti, testantur munificentiam splendida Divorum tecta, quæ profusissimis tuis impensis, renovâsti, restaurâsti, tum pretiosa supellectili ditâsti & ornâsti. Recenserem ego isthæc singula; ni innata tua modestia altum calamo silentium imponeret: quippe liberalitatis tuæ virtutem, omnino coram hominibus celatam, soliquè duntaxat notam & manifestam Cælo placet Tibi haberi: potiùs bene de Deo mereri, quàm vanæ gloriæ tubâ coram Mundo decantari exoptans. Quantùm Divino augendo cultui, intentus? quantùm Immaculatè Conceptæ Deiparæ Virginis honori propagando sis deditus? vel ex continuatis plurimos per annos, sacris in laudem Ejus à Te ad frequentissimum Auditorem habitis sermonibus, quibûs Originalem Divinæ Matris, contra hæreticorum calumnias & errores vindicâsti & propugnâsti innocentiam, (z) manifestè liquet. Audiebat numerosissimus populus non tanquam ab homine, sed tanquam ab Angelo, dicam potiùs tanquam à Deo verbum Ejus, quod velut gladius parte utraquè acutus de ore tuo procedebat, quô injuriosas Dignitati Virginis Deiparæ hæreses, in victimam Mariano mactabas honori. Quo verò affectu, quo labore, quo studio, pro Virginea puritate decertares, quàm solidè non peccâsse in Adam Mariam deduceres, quàm strenuè contraria Fidei Catholicæ dogmata expugnares, quis dicet?

 Ita

(z) *In* Conventu Paxensi *Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci antiquæ Observantiæ, solennem Immaculatæ Conceptionis Octavam, plusquam per duo lustra, sermone Concionatorio concludebat.*

Ita publicis Ecclesiæ distentus curis, integer tamen providendis *Juventutis Academicæ* commodis superfueras, quæ ut ad feliciter tractandas sublimiorum Facultatum Scientias faciliùs instituetur: LOGICAM INCIPIENTIUM, diligenti Tua operâ collectam, & in lucem evulgatam, illius usibus donâsti. (*aa*) Nam cum isthæc mediante calamo priùs in paginas, antequam in animos influeret, omniq; semestri mutaretur, scribentium manus fatigando, temporis jacturam faciebat, quòd explicandis Dialectices præceptis aptiùs impenderetur: suscepisti id laboris in tuas partes, eaquè methodo Logicales regulas in debitum & accuratum ordinem redegisti; ut captui uniuscujusquè summa claritate accomodatæ, studiosas mentes ad faciliorem Philosophiæ Peripatheticæ cognitionem formarent. Eam verò doctissimam animi Tui lucubrationem, non aliter in publicum prodire voluisti; nisi fortunatissimis sub auspiciis *Illustrissimi ac Excellentissimi Domini D.* ADAMI *in Zákliczyn* JORDAN, *Palatinidæ Bractaviensis, Generalis Leytnant Exercituum Regni.* Viri ùt aliàs vetustate Prosapiæ, summa Majorum authoritate, colligato cum Principibus Nominibus sanguinis nexu, maximis de Serenissima Majestate & Republica Polona promeritis commendatissimi: ita de Literis & Literatis meritissimi, Universitatis verò nostræ Cracoviensis, Amplissimi Patroni & Protectoris. *Domus* hæc *Illustrissima* meritò *Asylum honoris Academici* dicenda: quæ sicut Jagellonicis Musis studiosissimè patrocinatur; ita eas specialibus benevolentiæ testimoniis cumu-

(*aa*) Logicam Incipientium *pro Schola Dialectica in Collegio Novodvorsciano accomodatam, Nomini & honori Illustrissimi & Excellentissimi D.* Adami *in Zakliczyn* Jordan *inscriptam, Annô Domini 1753. in lucem edidit.*

cumulatiſſimè afficere contendit. Quàm multis titulîs Magno Nomini JORDANORUM obſtrictus maneas; ex publicis ſuperabundantis affectûs, quô Te effuſiſſimè proſequuntur argumentis modum & menſuram deſumo. Faxint itaquè (commune Academicorum votum) boni Superi ! ut in *Illuſtriſſima ſua Domo* faſces & purpuræ, conſtanti cum fortuna æternùm perennent. Quantum verò nedum Juventuti emolumentum, ſed & ingens Peripatho gloria non acceſſit ex nobiliſſimo hoc mentis tuæ partu ? dum Ariſtotelicæ doctrinæ veritatem, utilitatem & præſtantiam in Apologia pro arte diſputandi Peripatheticorum, contra modernos novatores ſolidis rationibûs deduceres: triumphavit hic honos Peripathi, æmulorum verò invidia livore tabeſcens conſumebatur. Nec ſatìs ei erat internis cruciatibûs torqueri, niſì malis artibûs clanculum confecta convicia, ubi argumenta non ſuppeterent, in publicum effutiiſſet. (*bb*) Eruperat inopinatò ab inſolenti homine, & magno novitatum amatore *Carpophoro* (neſcio quo mimico & geſticulatore) conviciorum ex trivio lectorum petulantia, Peripatheticæ doctrinæ, tuæquè ſolidæ eruditioni plurimùm injurioſa; vindicârunt integerrimum honorem tuum neſcium periclitari, à Zoili temeritate, Ariſtotelicam autem veritatem, ſtrenuè propugnârunt publicis ſcriptis DISCIPULUS & AMICUS. (*cc*) retorſerunt in caput Authoris tela, incidìtquè in foveam quam fecit. Domi rebûs feliciter

I confectis

(*bb*) *Annô Domini 1755. prodiit famoſus libellus contra Authorem Apologiæ pro arte diſputandi Peripatheticorum, ſub ficto nomine Carpophori Philalethæ, ſub data Veronæ.*

(*cc*) *Eodem anno, erudito ſcriptô* Diſcipulus & Amicus, *convicia Carpophori refutarunt.*

confectis, longè latèquè per utramquè Poloniam & Prussiam jacentibus Academicis revisendis, quà *Visitator* electus, es admotus Coloniis: (*dd*) Culmense Gymnasium aucto majori (liberalitate Civitatis) Professorum numerô & stipendiô, in Academiam reformâsti, labore, diligentiâ, & prudentiâ tua plantâsti, eidemq; certas leges & statuta, quæ seu Juventutis studiorum cursum, seu optimum Academiæ regimen spectarent, providisti: ubiquè de profectu in Literis & honestate studiosorum seriò inquirens, juvenes ad ingenuas artes & virtutes, Professores ad constantem & indefessum laborem, Paternè hortabaris & invitabas.

Hi sunt itaquè Academici Tui hercle maximi labores, quibûs velut solidissimo virtutis tuæ innutritus alimentô, ad venerandum usquè crevisti senium: hæc pulcherrima tuorum meritorum fama, quæ Nomini tuo immortalitatem parat: hæc apertissima Sapientiæ, tuæq; probitatis argumenta, quæ Sacram Theologicam, quam recipis Lauream, non Tibi è facili venisse jugo, manifestè evincunt. Probavit id publico testimoniô, Vir permagnæ Authoritatis, decus & columen Orbis Literarii, felicissimus Sceptrorum Academicorum Moderator, Jurium & Libertatum Universitatis Vindex & Assertor, *Magnificus Perillustris & Reverendissimus Dominus, D. M.* STANISLAUS MAMCZYNSKI, J. U. *Doctor & Professor, Ejusdemquè Facultatis Decanus, Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis Canonicus, Parochialis in Smarzowice Curatus, Collegii Juridici Senior Pater, Consistorii Cracoviensis Judex Surrogatus, Contubernii Jurisperitorum Provisor, Canonizationis B. Joannis Cantii Procurator, Librorum per Diœcesim Cracoviensem Censor, Studii Generalis Universitatis Cracoviensis, Procancellarius & Gene-*

(*dd*) *Annô Domini 1756. in* Visitatorem Coloniarum *electus.*

18

& *Generalis* RECTOR, qui cùm nuper, ad obtinendam Sacram Lauream publicè Tibi Licentiam defferret; ex expositis de MYSTERIO SS. TRINITATIS thesibus, solenni argumentô applaudens, *Mysterium Te laborum Academicorum* in facie Universitatis pronuntiavit: paucis quidem verbîs constans elogium, sed quod grandiores Panegyres absolvere posset. Pari meritorum tuorum æstimatione tenetur, Vir, ùt gravi seniô per omnia venerandus; ita diebûs suis certè maximus, quô nemo major in Academia surrexit, *Perillustris Clarissimus & Admodum Reverendus Dominus D. M.* STANISLAUS PHILLIPPOWIC, *Sacræ Theologiæ Doctor & Professor, Universitatis & Collegii Majoris Senior Pater, Ecclesiarum Collegiatarum S. Floriani Clepardiæ ad Cracoviam Decanus, Curelovienfis Scholasticus, Parochialium Premykoviensîs Præpositus, in Igołomia Curatus, Contubernii Hierosolymitani & Alumnatûs Roszczeviani Æstimatissimus Provisor,* qui cùm à primo vitæ tuæ Academicæ diluculo Tibi semper intimus foret, quantùm de exoptata hac Theologici Honoris virtuti Tuæ pridem debiti accessione congauderet; plenis affectûs verbîs est contestatus: sIt LaVs honor, & gLorIa LICentIanDo. aMenGaudent etiam atquè lætantur, summaquè perfruuntur. nunc voluptate, jam ad beatam translati immortalitatem, clarissima olim Academiæ lumina, SZYMAKOVIUS, POPIOŁEK, HERKONES, quibus Tu ùt superstitibus eras carissimus; ita post fata fidelissimus supremæ voluntatis Executor, recentem eorum ad Divorum Aras memoriam circumfers: dum Te Sacra in præsentiarum coronari Cydari, ex Siderea illa arce prospectant, quam Tibi in vita medullitùs exoptabant.

Sed quorsum calame? æquum ne PERILLUSTRIS DOMINE NEO-DOCTOR, angustis paginæ margini-

bûs laudum tuarum Oceanum arctari? fas ne hebeſcenti pennæ, elogiorum tuorum magnitudinem intra Oratoriam circumductionem terminare? creſcant hæc plus ultra; & ad ampliſſima gloriæ incrementa aſſurgant. Jam igitur doctam frontem, Sacris quæ ſe in eam demittunt, ſubmitte ſertis, hæc utiquè in tuis ſudoribus crevere: digniſſimis recipe de manibus, *Perilluſtris & Reverendiſſimi Domini D. M.* ADALBERTI GRZYMAŁA, *Sacræ Theologiæ Doctoris & Profeſſoris, ejuſdemquè Facultatis Decani, Cathedralis Cracovienſis Canonici &c. Promotoris Æſtimatiſſimi,* Viri, genere, ſapientiâ, virtute, meritis Clariſſimi, pulcherrima Theologica iſthæc, quæ Tibi inſignia defert, & ſuperatis Virtutis Ædibûs per *Gentilitiam* ſui *Portam* Theologici Honoris Capitolium glorioſus Triumphator ſubintra. Cingit Te Illuſtriſſima Ampliſſimorum Hoſpitum, Prælatorum, Canonicorum, Corona, aſſiſtunt Sacri Religioſorum Ordinum Cætus, ut hodiernæ feſtivitati plùs ſplendoris plauſûſve adveniat, & Sacræ Dignitatis acceſſionem tuis meritis conferri, ſolenniſſimè gratulantur. Ambit Te frequentiſſimus Academicus Senatus, congregati Univerſitatis Ordines, totaquè Gens Togata Sceptris decorata ſuis, honori applaudendo tuo, propriis Te manibûs in Sedem Doctoralem deportat. Nobiliſſima etiam Jagelloniana Juventus, Æſtimatiſſimo ſuo PROVISORI, jubilans & geſtiens, lætos applauſus & feſtas ingeminat voces. Hoc eſt unanime quorumvis bonorum votum, hæc una vox Tibi addictiſſimorum: ut, dum hodie Virtutem, Sapientiam, meritaquè Tua, Sacra Doctoralis præmiat Corona, florentiſſimis Te honoribûs, atquè ſecundo vitæ ſinè ulla offenſione curſu, longævum & incolumem, Boni Superi coronent.

